

Onomacritus Atheniensis.

Lubenti animo quis antiquarum literarum studiosus in iis temporum locorumque spatiis commoratur, quibus disciplinae suae jacta videt fundamenta, et quum ipsa penitus cognoscere tum hominum eorum, quorum opera illis temporibus insignis extitit, vitam ac studia, quantum fieri possit, perspicere conatur. Quorum quidem temporum principem sane locum tenet aetas Pisistrati et Pisistratidarum. Hac enim aetate non solum vatum et scriptorum veterum opera primum collecta sunt, sed etiam ars illa, quae in monumentis antiquis ordinandis explicandisque versatur, primum exulta est a docto illo sodalicio, quod Athenas convocaverat Pisistrati filiorumque ejus nobile studium.

In quo doctorum hominum coetu haud ultimo loco celebratur Onomacritus Atheniensis. Pisistratidarum enim aequalis atque Hipparchi imprimis sodalis patrem et filios in colligendis antiquarum literarum monumentis adjuvisse, Musaei vatis et mystagogi celeberrimi oracula digessisse, quin etiam Homericis carminibus colligendis disponendisque manum admovisse perhibetur. Atque idem, Dionysi fortasse sacerdos, sacrorum certe reconditorum peritus, ὄργια et τελεταὶ s. carmina mystica condidit, ut theologus et poëta omnisque profundioris scientiae, quae illo tempore vigeat, gnarus appellari possit. Quanta autem ejus apud Pisistratidas fuerit auctoritas, non solum e negotio ei mandato, sed etiam inde apparet, quod, quem ob fraudem in disponendis Musaei oraculis commissam in exilium eiecissent, eum postea ipsi expulsi socium sibi adseverunt itineris ad Persarum regem Xerxem suscepti eoque adjutore usi illum ad bellum Graecis inferendum excitaverunt. In tantum autem postea ejus famam crevisse cognoscimus, ut literarum antiquarum interpolationis quasi specimen ac princeps ferretur.

Quo magis nobis dolendum est, tam pauca de hoc viro inter aequales gravissimo tradita, eaque quae ad nos pervenerint, tantis involuta esse famae tenebris, ut vix eorum quae fecerit vel scripserit, quaeque in agendo secutus sit consilia certam cognitionem nobis parare possimus. Quare optimum factu judicavimus singula quaeque, quae de Onomacriti vita, studiis, scriptis nobis innotuerunt, secundum testium aetatem examinare, et, quantum fieri possit, illustrare; tum, si id aliquo modo successerit, totam viri imaginem, qualis inde nobis nota fuerit, adumbrare. Haec enim muneri nostro scholastico conjuncta et cognata est quaerendi ratio; nec ego, qui totus sim in illo, paucasque solum subsecivas horas huic opellae impendere possem, aliam disputationis viam mihi ingrediendam esse putabam. In qua si cui nota ac trita proferre videbor, is, quaeso, cogitet, me in ea urbe haec scripsisse, cui Pisistratea nondum affulserit aetas, carentem, nisi ante atque aliunde parassem, omnibus fere, quibus hic opus erat, literarum subsidiis. Fieri igitur non potest, quin plura proferam, quae uberiore librorum copia instructo utique praetermittenda erant, omiserim alia, quae idem commemorare potuisset. Maxime autem id mihi propositum erat, ut viam ac rationem discipulis meis monstrarem, qua certam quis in rebus antiquis cognitionem sibi parare et a multis erroribus cavere posset, testimoniis veterum caute diligenterque examinandis aestimandisque. Inde enim plurimos in antiquitatis doctrina errores natos esse constat, quod neglecto testium fontiumque delectu temereque confusis antiquissimis et novissimis auctoritatibus, conflatae sunt opiniones et doctrinae omni fundamento

carentes. Cum enim rerum, quae hodie fiunt, fama per hominum ora propagata augeatur fere atque immutetur mirum in modum, nonne ea quoque, quae ab antiquissimis scriptoribus quasi per manus tradita sunt, a posterioribus in majus aucta at additamentis amplificata credamus? Jam vero id non minus in literarum quam in rerum gestarum historia evenit. Ut unum tantum hujus generis exemplum, quod in promptu est, commemorem, Demosthenes, qui a Dionysio Halicarnassensi inter aemulos Thucydidis refertur, a Luciano ejus opus octies sua manu descripsisse perhibetur (adv. Ind. 4. Vol. 8. p. 4. Lehm.), ab Arsenio autem (Violet. p. 189, ed. Walz.) historici opus tam tenaciter retinuisse traditur, ut deperditum memoriter restitueret, quum incendio Athenis exorto omnia historici exemplaria conflagrassent. Atque ejusmodi, si id ageretur, sexcenta alia possent proferri. Nulla igitur in rerum antiquarum investigatione tuta est via, nisi qua ab antiquissimis firmissimisque testimoniis probe intellectis ad posteriora pergatur, atque haec quidem ex illis aestimentur momentoque suo ponderentur. Nec non jure illam criticam historiam appellat *Nitzschius* (De Historia Homeri I, p. 4.) quae „non tam rerum famaеque quam testium aetatem sequatur, eorumque primum ipsorum, deinde rerum ab iis traditarum fidem exploret.“ Atque in hoc quidem ejus historiae studiosus saepe acquiescet, ut vanis commentis profligatis nihil se scire fateatur.

Quare in nostra de Onomacrito quaestione primus nobis adeundus erit Herodotus, cujus in his certe rebus fides vix a quoquam in dubium vocetur nec, ut probetur, possit postulari. Cujus verba quum sint fundamentum ejus disputationis, quae ad Onomacriti vitam ac studia pertinet, ipsa hic apponam. Lib. enim VII., c. 6. inter eos, qui Xerxem ad expeditionem in Graecos suscipiendam excitarent, Aleuadarum legatos et Pisistratidarum aliquos fuisse narrans: τούτο δὲ, inquit, Πεισιστρατιδῶν οἱ ἀναβεβηκότες εἰς Σοῦσα τῶν τε αὐτέων λόγων ἐχόμενοι τῶν καὶ οἱ Ἀλενάδαι, καὶ δὴ τι πρὸς τούτοισι ἐτι πλεον προσωρέγοντό οἱ ἔχοντες Ὀνομάκριτον, ἄνδρα Ἀθηναῖον, χρησμολόγον τε καὶ διαθέτην χρησμῶν τῶν Μουσαίου· ἀνεβεβήκεσαν γὰρ τὴν ἐχθρὴν προκαταλυσάμενοι· ἐξηλάσθη γὰρ ὑπὸ Ἰπάρχου τοῦ Πεισιστρατίδου ὁ Ὀνομάκριτος ἐξ Ἀθηνῶν ἐπ' αὐτοφώρῳ ἁλὸς ὑπὸ Λάσου τοῦ Ἐρμιονέος ἐμποικῶν εἰς τὰ Μουσαίου χρησμῶν, ὡς αἱ ἐπὶ Λήμνον ἐπιζέμεναι νῆσοι ἀφανίζοιτο κατὰ τῆς θαλάσσης· διὸ ἐξήλασέ μιν ὁ Ἰπάρχος πρότερον χρεώμενος τὰ μάλιστα. e. q. s.

Onomacritus igitur Atheniensis sub Pisistratidis Athenarum tyrannis magna auctoritate atque Hipparchi imprimis consuetudine usus est, qui Simonidem quoque Ceum, Anacreontem Teium et, quem Herodotus quoque h. l. nominat, Lasum Hermionensem poëtas secum habuisse, Homericis carminibus colligendis rhapsodorumque recitationi in ordinem redigendae operam praecipuam impendisse traditur ab auctore Hipparchi Platonici p. 228, patris fortasse merita in filium transferente, ipsius certe operam nimis extollente ¹⁾). Excellebat in hoc virorum doctorum sodalitis Onomacritus non solum poëtica facultate, sed etiam sacrorum reconditorum ²⁾) et oraculorum veterum peritia. Quippe Herodotus eum *χρησμολόγον καὶ χρησμῶν τῶν Μουσαίου διαθέτην* appellat. Jam vero qua significatione vox *χρησμολόγος* de Onomacrito accipienda sit, et res ipsa et verba continuo subjecta ostendunt. *Διαθέτης* enim *χρησμῶν τῶν Μουσαίου* nihil est nisi ordinator oraculorum Musaei. Haec est primaria vocis significatio; alio, sed inde oriundo sensu verbum *διατιθέναι* de rhapsodis usurpat Plat. Legg. II., p. 658, Charmid. p. 162, D., ubi recitare significat; sed originem haud dubie traxit haec significatio a carminum singulorum disponendorum et concinnandorum negotio cum recitandi munere conjuncto ³⁾). Errat igitur *Schweighaeuserus*, qui in annotatione ad locum Herodoti allatum „*Διαθέτην*“ inquit, „rectius fortasse cum Valla et Gronovio edissertatorem aut venditorem intelliges; ego quidem lubens oracula Musaei venditantem redderem.“ De venditandis Musaei oraculis quod dicit, id quidem prorsus nihili est. Neque enim Onomacriti propria erant, neque ab ipso conficta, sed collecta ab eo, prout sensus poscere videbatur, disponebantur. Igitur ne vox quidem *χρησμολόγος* h. l. vaticiniorum auctorem, sed nonnisi oraculorum gnarum significare potest, ut *θεολόγος* rei divinae, *μυθολόγος* fabularum peritum, id quod clarius etiam e brevi disputatione de variis *χρησμολόγων* generibus perspicietur.

¹⁾ *Ulrici*, Geschichte der Hellen. Poësie I, p. 255. *Welcker*, der epische Cyclus, p. 376.

²⁾ Vid. infra. p. 12. 15.

³⁾ Cf. *Lobeck*, Aglaoph. I, p. 333.

Quatuor enim in universum vaticinandi genera fuerunt, quae naturali quadam lege conjuncta a Graecis excolta sunt. Primum haud dubie fuit eorum, qui, quamquam divino afflatu praediti putabantur, signis tamen externis fere volatus cantusque avium et aliis prodigiis futurarum rerum praesagia capiebant, ut Calchas et Tiresias vaticinati esse feruntur, ut Halitherses ¹⁾ et Theoclymenus ²⁾, ut Eurydamus apud Homerum ³⁾. Dicebantur enim *μάντις*, quod vocabulum Platoni jure a furore derivandum videbatur; nihilo minus signorum tantum divinorum interpretes sese profitebantur, qui acrioribus quam ceteri sensibus praediti numinis vocem ex iis perciperent. Neque tamen iis solis vaticinandi erat facultas; Polydamas quoque, qui vatibus annumerari non potest, humano acumine fretus Hectori deorum voluntatem auspicio significatam (II. 12, 211. sqq.) declarat. Quid, quod Hector ipse moriens Achilli mortem praedicat (II. 22, 355), secundum antiquam illam et pervagatam opinionem de moribundorum vaticinandi facultate? ⁴⁾ Igitur vel animi quaedam elatio vel signa externa acriore mentis acie percepta praesagia tum suppeditabant; neque alterum ab altero poterit divelli. Externis quidem subsidiis in clarissimis etiam Graecorum oraculis, Dodonaeo Delphicoque, qui vaticinia edebant, usi dicuntur. De Dodonaeo nota res ⁵⁾; de calculis initio Delphiis in vaticinando usitatis cf. *Lobeckius* Aglaoph. II. p. 814 sq. Confirmat hanc sententiam Pausanias, qui subjecta Amphiarao oracula hoc argumento coarguit: *ὄσους ἐξ Ἀπόλλωνος μανῆσαι λέγουσι, τῶν ἀρχαίων μάντεων γ' οὐδείς χρησμολόγος ἦν, ἀγαθοὶ δὲ ὄνειράτα ἐξηγήσασθαι καὶ διαγνῶναι πτήσεις καὶ σπλάγγνα ἱερῶν.* ⁶⁾

Duo inde nata vaticinandi genera diversa et vatum ordines a reliquis hominibus segregati, quorum alteri ratione ac disciplina omina prodigiaque ex avium cantu volatuque vel victimarum extis capta interpretabantur ⁷⁾, quae auguralis ars et haruspicina (*οἰωνοστικὴ, ἱερομαντεία*) appellata est; alteri divino quodam instinctu ac furore incitati, neque ulla externa re moniti oracula fundebant, ut Amphilytus ille Acarnan, qui Pisistrato Athenas redeunti obviam factus est, ⁸⁾ ut Lysistratus Atheniensis, qui multis annis ante pugnam Salaminiam de ea vaticinia edidisse fertur ⁹⁾. Atque hi quidem viri fatidici ab Herodoto *χρησμολόγοι* appellantur, ab aliis *χρησμοδοί*. Dicuntur iidem *θεομάντις* ¹⁰⁾, de quibus Plato, Men. p. 99, C: *λέγουσι μὲν ἀληθῆ καὶ πολλὰ, ἴσασι δὲ οὐδὲν ὧν λέγουσι* — i. e. sine ratione divino spiritu instincti a diis accepta oracula referunt; quibus tamen multo majorem quam priori generi dignitatem tribuit in Phaedro (p. 244).

Sed paulatim eo devenit hoc genus, ut imminuta prisca illa fere divina auctoritate non jam sua proferret vaticinia, sed in recitandis tantum atque interpretandis oraculis et antiquioribus et recentibus Delphicis versaretur, atque illa rebus praesentibus vel instantibus accommodare studeret. Id quod a Persico inde bello maxime factum videmus. In hoc quarto fatidicorum genere maxime apud Athenienses quidem excelluisse perhibetur Stilbides,

¹⁾ Od. 2, 158.

²⁾ Od. 20, 351. Cf. *Lobeck.* de h. l. Aglaoph. I, p. 265. „Quibus omnibus confirmatur, illum furorem, quo incitati homines singulari quodam deorum munere futura cernunt sic ut praesentia, ab Homericis vatibus prorsus abesse“. Cui sententiae non plane subscribere possum. Neque probavit ejus de illo Odysseae loco sententiam *Voelcker*, „die Homerische Mantik“ in Allg. Schulzeitung 1831, Nro. 145.

³⁾ II. 5, 148. Unus Helenus deorum consilia nullo signo externo percipit II, 7, 44; idem tamen 6, 75: *οἰωνοπόλον ὄζ' ἄριστος* nominatur.

⁴⁾ Cl. *Pflugk* ad Eurip. Hec. p. 6.

⁵⁾ Od. 14, 327. cf. *Lob.* Aglaoph. p. 265.

⁶⁾ Pausan. 1, 34. s. f. cf. *Lob.* Aglaoph. p. 310, qui extispicium Homero ignotum esse observavit p. 262.

⁷⁾ *Ἡ τῶν ἐμφρόνων ζήτησις τοῦ μέλλοντος διὰ τε ὀρνίθων ποιουμένη καὶ τῶν ἄλλων σημείων* Plat. Phaedr. p. 244. C.

⁸⁾ Herod. 1, 62.

⁹⁾ II. 8, 96.

¹⁰⁾ Componitur utrumque nomen (*χρησμολόγος* et *θεόμαντις*) a Platone tanquam diversum, Men. p. 99, C., Apol. c. 7. Jon. p. 534, E. In his locis igitur *χρησμοδοῦς* eos dictos esse puto, qui vel sua vel aliorum oracula versibus illigata cantarent, *μάντις* autem eos, qui soluta oratione subitaria vaticinia proferrent; *χρησμοδοῦς* igitur ei quod sequitur generi rectius annumerari. Cessit autem nomen *μάντις* recentioribus *προφήτης* „deorum interpres“, *χρησμολόγος* et *χρησμοδός* „fatidicus“, sicut apud Hebraeos vetustum nomen *נָבִי* (vates, Seher) recentiori *מַדְבָּר* (dei interpres), 1 Sam, 9, 9.

expeditionis Siculae impulsor ¹⁾, apud Spartanos Diopithes, veterum oraculorum peritissimus, qui Leotychidem in regni disceptatione adversus Agesilaum adjuvabat. ²⁾ Qui etsi eodem nomine quo superiores illi *χρησμολόγοι* nuncupantur ³⁾, sicut ii, qui de oraculo illo Delphico Atheniensibus ante Xerxis irruptionem dato consulebantur, et is, quem in Avibus inducit Aristophanes, ⁴⁾ eos tamen jam antiqui, ut Plato loco infra laudato, a superiore genere probe discernunt. Non enim *μάντις* illos, sed *μαντευομένων προφήτας* appellandos esse contendit.

In hoc igitur *χρησμολόγων* numero etiam Onomacritus erit habendus, nec audiendus Clemens Alexandrinus, qui eum cum priscis, heroicae adeo aetatis vatibus confundit. ⁵⁾ De Onomacriti enim vaticiniis ipsius nomine editis nihil nobis compertum est.

Quem in contemptum autem denique venerint hujus generis homines, non minus quam Orpheotelestae illi, in quibus Orphicorum desiit vetusta auctoritas, vel rhapsodorum ars ad levem quaestum deducta, ⁶⁾ idem Aristophanes nobis testatur. ⁷⁾ Quod quum mutata sentiendi cogitandique ratione, labefactatis pristinae religionis ac fidei fundamentis, tum ipsorum culpa videtur accidisse. Neque enim in explicandi munere acquievit eorum industria, sed fallendi quadam dulcedine capti, „ut praedicta viderentur quaecunque accidissent“ ⁸⁾ aut politicis consiliis permoti, antiqua illa oracula ipsorum curae tradita vel interpolare vel totos suos fetus augustis illorum auctorum nominibus incriptos divulgare instituebant. Quod non solum in Graecis, sed etiam inter Ebraeos usu venisse constat, in quibus quum post exilium Babylonicum divinus ille prophetarum afflatus extinctus putaretur, non solum vetera Jesaiae et Zachariae oracula spuris aucta sunt ⁹⁾, sed etiam libri prodierunt prophetici, claris et antiquis nominibus incripti Adami, Mosis, Davidis, Henochi, Jesaiae ipsius aliorumque ¹⁰⁾. Primum autem in Graecia vaticiniorum interpolatorum exemplum, quod quidem certis constet testimoniis, nobis praebet Onomacritus, insignem inde ad posteros famam adeptus.

Ferebantur enim Athenis ex antiquis temporibus sub Musaei imprimis et Bacidis ¹¹⁾ nominibus oracula, quibus ipse Herodotus summam auctoritatem fidemque tribuit; quippe veracia fuisse multis locis studet demonstrare. Pausanias quoque oracula illa sibi nota nec non lecta esse testatur ¹²⁾. Atque ejus generis plura ab Herodoto, Thucydide, Pausania, Plutarcho, Clemente, aliisque nobis servata sunt, quae omnia ad reipublicae Atheniensis et universae Graeciae fata vel prospera vel adversa spectant. Eorum, quae ad bellum a Persis imminens pertineant, complura Bacidis oracula profert Herodotus ¹³⁾, Musaei semel tantum mentionem facit, ubi prosperum pugnae Salaminiae eventum ab illo praedictum memorat ¹⁴⁾. Nec minus de Peloponnesiaco bello nobis servata sunt oracula, quae initio

¹⁾ v. Suid. s. h. v. *μάντις ἀριστος τῶν τοὺς παλαιούς χρησμοὺς ἐξηγομένων*, cf. *Kreuser*, Vorfr. über Homer, p. 166. *Lampron* quoque ille, qui coloniae Thurios deductae dux a nonnullis additur (Diod. Sic. 12, 10) huc pertinet, quamquam idem haruspicinam factitasse videtur. Dicitur enim *θύτης καὶ μάντις καὶ χρησμολόγος* (Schol. ad Arist. *Avv.* 521).

²⁾ Xen. *Hellen.* 3, 3, 3. Cf. *Lob. Aglaoph.* II, p. 978 sq.

³⁾ Idem vero saepe *προφήται*, interpretes, dicuntur, cf. *Valck.* ad Herod. 7, 109. *Blomf.* ad Aesch. *Ag.* v. 399 Gloss.

⁴⁾ Qui *προφήτης* dicitur, v. 972 ed. *Burm.* Cf. *Plat. Tim.*, p. 72. *Ὄθεν δὴ καὶ τῶν προφητῶν γένος ἐπὶ ταῖς ἐνθεοῖς μαντείας κριτὰς ἐπικαθιστάναι νόμος.*

⁵⁾ *Strom.* I, p. 399; ed. *Potter.* *Τί μοι Τήλεμον καταλέγειν ὃς Κυκλώπων μάντις ὢν Πολυφήμῳ διεπίξει τὰ κατὰ τὴν Ὀδυσσεύος πλάνην ἢ τὸν Ἀθήνησιν Ὀνομάκριτον ἢ τὸν Ἀμφιάρεον τὸν σὺν τοῖς ἑπτα e. q. s.*

⁶⁾ *Wolf.* Prolegg. ad Hom. p. 100.

⁷⁾ Cf. etiam Eurip. *Hel.* 761. *Ulrici* *Gesch. d. Hell. Dichtk.* II, p. 232.

⁸⁾ *Cic. de divin.* II, 54.

⁹⁾ Cf. *Gesenii* *Introduct.* in *Jesaiam* t. I, 2, t. II, p. 2. sqq.

¹⁰⁾ *Ib.* tom. 1. *Introd.* §. 9.

¹¹⁾ Fortasse etiam Amphilyti Acarnanis; cf. *Themisth. Orat.* III, p. 55 ed. *Dind.* *Aristid.* Vol. I, p. 567.

¹²⁾ X, 42, 6. *Χρησμολόγους δὲ ἄνδρας Κίπριόν τε Εὐκλόων καὶ Ἀθηναῖον Μουσαῖον τὸν Ἀντιόφῃμον καὶ Λύκον τὸν Πανδίογος τοῦτους τε γενέσθαι καὶ ἐκ Βοιωτίας Βάκων φασὶν κατάσχετον ἄνδρα ἐκ Νυμφῶν· τοῦτων πλὴν Λύκον τῶν ἄλλων ἐπέλεξιμεν τοὺς χρησμούς.*

¹³⁾ VIII, 20. 77. 96. IX, 43. Jam ante Bacidem Euclum de illo bello oracula edidisse contendit *Paus.* X, 14, 3.

¹⁴⁾ VIII, 96.

ejus in ore vigeabant multitudinis. Thucydides enim (II, 8): *Καὶ πολλὰ μὲν, inquit, λόγια ἐλέγετο, πολλὰ δὲ χρησμολόγοι ἤδον.* Distinguit igitur h. l. *χρησμοὺς* a *λογίοις*; alterum de divinis tantum, imprimis Delphicis oraculis intelligendum esse, alterum (*λόγια*) de vatum s. fatidicorum veterum praesagiis *Haackius* recte statuit, quum de iisdem dicatur ab Herodoto VIII, 62. Oraculorum Delphicorum, qui id profiterentur, interpretes fuisse vel ex Herodoto VII, 142 colligi potest ¹⁾.

Ad hoc igitur praedictionum genus vel re vel nomine tantum pertinent *λόγια* illa, de quorum sententia Pisistratus Delum insulam purgasse dicitur ²⁾, in iis fuisse statuo illud, quod de condenda Siri Athenienses editum servabant ³⁾, quoque impulsus Thuriis condiderunt ⁴⁾; in iis etiam *ἔπος* illud de pestilentia Athenis una cum bello Dorico imminente ⁵⁾; eodem pertinet haud dubie vaticinium illud et ipsum bellum Peloponnesiacum spectans, quod extat apud Schol. ad Oed. Col. v. 57, nec minus aliud ab eodem memoratum ad v. 447. De pugna denique ad Aegos Potamon commissa oraculum Musaeo diserte adscriptum nobis servavit Pausanias X, 9:

*Καὶ γὰρ Ἀθηναίοισιν ἐπέροχεται ἄγχιος ὄμβρος
Ἐγεμόνων κακότητι· παραφρασὴ δὲ τις ἔσται
Ἦι γ' ἄλις ἡμύσουσι πόλιν, τίσουσι δὲ ποινήν. ⁶⁾*

Quibus autem auctoribus revera tribuenda, et quo tempore confecta sint haec oracula, ne conjectura quidem propius assequi possumus, quam ut post Homeri aetatem, cui vox quoque *χρησμοῦ* ignota est, ea composita esse statuamus ⁷⁾; de Musaeo ipso ne Pausanias quidem cogitasse videtur ⁸⁾. Scripta autem jam ante Onomacritum extitisse oracula Musaeo tributa tota Herodoti narratio demonstrat; ne quis a Plutarcho in eam sententiam induci se patiatur, ut ab Onomacrito demum literis consignata existimet. Inter eos enim Onomacritum refert, qui tragicam oraculis majestatem addiderint ⁹⁾. Licet enim, quod non sine ratione negatur, scribendi ars apud Graecos non multo ante Pisistratum ad vulgarem usum adhibita sit, oraculis tamen consignandis et carminibus ad sacros usus destinatis haud dubie aliquanto prius inservit ¹⁰⁾.

Haec igitur oracula collecta jussu Pisistratidarum Onomacritus in certum ordinem rededit, quo se deinceps excipere viderentur. Ipse Hippias, qui eorum optime gnarus ab Herodoto dicitur ¹¹⁾, fortasse muneris ejus partem susceperat. Ita disposita et perscripta servabantur deinde oracula illa in acropoli, ubi Pisistratidis expulsis relicta invenit Cleomenes Spartanorum rex, quum Isagorae summam rerum tradere studeret ¹²⁾. Qui quamquam Spartam ea abstulisse narratur, nihilominus tamen postea Athenas relata atque Areopagi curae commissa videntur ¹³⁾. Ac quanti fecerint illa oracula Demosthenis etiam tempore Athenienses, ex ipso Demosthene apparet ¹⁴⁾. Quid, quod

¹⁾ Etiam *Bredovius* (*Annotatt. ad Heilmanni* interpretat. vernaculam) *χρησμών* divinum tantum oraculum significare contendit. Alia, sed ut videtur minus vera *Popponis* est sententia.

²⁾ Herod. I, 64.

³⁾ Ib. 8, 62.

⁴⁾ Quod Diodorus 12, 10. Delphici oraculi auctoritate factum narrat.

⁵⁾ Thuc. II, 54.

⁶⁾ Cf. de hoc oraculo, quod mihi quidem haud antiquissimae notae videtur, Passovium „Musaeos“ p. 61. et de alio similis argumenti oraculo Clem. Alex. Strom. 8. p. 738.

⁷⁾ Cf. *Lob. Aglaoph.* I. 317.

⁸⁾ I, 34, 3. Cf. supra p. 5.

⁹⁾ De Pythiae oraculis c. 25. *Τραγῳδίαν αὐτοῖς καὶ ὄγκον οὐδὲν δεομένοις προσθέντες.*

¹⁰⁾ Cf. *Nitzsch* de Historia Homeri I, p. 15. 95, qui „non scriptorum librorum sed vulgo lectorum, sed editorum, divulgatorum, in bibliothecas congestorum istam primam esse aetatem“ evicit. *Ulrici* *Gesch. der Hellen. Dichtkunst.* I, p. 231. Nec igitur cum *Wolffo*, *Prolegg.* p. 155, ad primordia scriptionis Onomacriti interpolatio retrahenda videtur.

¹¹⁾ Herod. V, 93.

¹²⁾ Herod. V, 90.

¹³⁾ *Dinarch.* Orat. c. Demosth. 91, 20.

¹⁴⁾ De fals. legat. p. 436, cf. *Lob. Aglaoph.* II, p. 965. Non multo minoris igitur ad salutem publicam momenti videbantur quam

Spartanis ipsis, cum Spartam essent allata, metus injectus est propter mala secundum illa vaticinia ipsorum reipublicae impendentia? Quantam autem Pisistratidae auctoritatem tribuerint illis, e severa poena intelligitur, quae Onomacrito propter fraudem in illo disponendi negotio commissam inflictata est.

Tantum enim vel ingenio suo, vel studio alicui indulsisse traditur Onomacritus, ut suum ipsius oraculum insereret. Sed in ipso facto deprehensus est a Laso Hermionensi, qui et ipse *χρησμολόγος* dicitur ¹⁾ et Pisistratarum favore et consuetudine utebatur. Ingenii enim acumine eum valuisse vel e facetiis ab Athenaeo lib. VIII. c. 20 narratis colligi potest. Deprehensus autem Onomacritus tantam Hipparcho commovit iracundiam, ut in exilium ejiceretur ab eo, quo antea familiarissime fuerat usus.

Vaticinii ab Onomacrito suppositi argumentum servavit nobis Herodotus I. I. „ὡς αἱ ἐπὶ Λήμνον ἐπιζήμεναι νῆσοι ἀφανίζοιτο κατὰ τῆς θαλάσσης, fore ut insulae prope Lemnum sitae in profundum demergerentur“ ²⁾.

Atque eo quidem notabilius est hoc vaticinium, quod ex parte saltem multis annis post eventu confirmatum est. Narrat enim Pausanias ³⁾ insulam Chrysen prope Lemnum adjacentem et Philoctetis casu claram ⁴⁾ mari absorptam esse; ejusque reliquias Choiseulius sub aquis se detexisse ait ⁵⁾. Vada enim maris et scopulos exiguo intervallo inter se disjunctos in littoris parte, quae orientem spectat, a se reperta narrat, neque illam insulam solam, sed etiam Lemni ipsius partem in profundum demersam videri. Neque unde hoc acciderit, obscurum est. Antiquis enim temporibus in Lemno aut in insula minore contigua montem fuisse ignivomum, qui Sophoclis, Antimachi atque Eratosthenis aetate ignem ejiceret, ante Galeni autem tempora extinctus sit, satis perspicitur e compluribus illorum scriptorum locis, quos collegit et tractavit *Buttmannus* in Museo antiquitatis studiosorum vol. I. q. 295 seqq. ⁶⁾ Ignis autem ejus subterranei effectus non solum in insula ipsa, sed in mari quoque vicino apparuerunt, quemadmodum etiam nostris temporibus (anno 1831 p. Chr.) in ora Siciliae australi insulam extitisse duobusque annis post rursus evanuisse cognovimus ⁷⁾. Neque aliam ob causam certe jam antiquissimis temporibus inter Lemnum et Hellespontum Nea insula emersit ⁸⁾, quae ab aliis (Stephano Byz. et Suida) *Νεαί* appellatur, unde probabilis ducta est *Heinrichii* conjectura, plures aliquando minutiores insulas ibi e profundo exortas, quae proprie *αἱ Νεαί*, Novae, dicerentur, ab aliis autem unam earum, utpote ceteris majorem et praestantiolem, *Νεας* nomine esse significatam; Chrysen quoque insularum illarum Novarum unam fuisse, nec tamen cum ipsa illa *Νεα* confundendam, quae Plinii temporibus adhuc supertes fuerit. ⁹⁾

Romae libri Sibyllini, qui post exustum sociali bello Capitolium undique conquisiti sunt. Tac. Ann. 6, 12. Eo autem Romanorum libri fatidici ab Atheniensium oraculis differre videntur, quod illi monita potius continebant, quibus sacrificiis vel muneribus deorum ira placanda et a calamitate cavendum esset, quam vaticinia (Cf. e. g. Liv. 25, 12. Cic. Cat. III, 8). Quare jure *Hartungius* videtur suspicari (Religion der Römer I, p. 135), non lectitando investigata esse in iis oracula ad praesens tempus accommodata, sed cum cerimonia evoluta ac primum quodque arreptum.

¹⁾ Stob. Serm. 210, p. 705.

²⁾ *Ἐπὶ Λήμνον* prope Lemnum ut 7, 115, 8, *ἐπὶ Προσειδιῶν*, non versus Lemnum, quod *Schweighaeuserus* suspicatur.

³⁾ VIII, 33. *Λήμνον γὰρ πλοῦν ἀπέχεν οὐ πολὺν Χρύση νῆσος, ἐν ἣ καὶ τῷ Φιλοκτήτῃ γενέσθαι συμφορὰν ἐκ τοῦ ὕδρου φασί· ταύτην κατέλαβεν ὁ κλύδων πᾶσαν καὶ κατέδυν τε ἣ Χρύση καὶ ἠφάνισται κατὰ τοῦ βύθου.*

⁴⁾ Hanc enim secundum antiquissimam fabulam esse insulam, in qua Philoctetes vulneratus sit, contendit *Heinrichius*, de Chryse insula et dea in Philoctete Sophoclis. p. 13.

⁵⁾ *Chois. Gouffier*, Voyage pittoresque de la Grèce, t. II, p. 129 sqq. *Rhode*, res Lemnicae, p. 7. *Heinrich*, de Chryse insula et dea, p. 2.

⁶⁾ De Eratosthene *Buttmanno* assentiri nequeo, qui Mosychli mentionem ex imitatione tantum poetarum antiquorum fluxisse statuit. Neque assensus est *Heinrichius* in diss. supra laud. p. 3.

⁷⁾ Quam iterum emersisse perhibent: cf. *Berghaus*, Annalen, Jul. 1833, p. 416. *Reinganum*, über das Emporsteigen von Inseln aus dem Meeresgrunde in „Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft, 1835, Nro. 138.

⁸⁾ Plin. II, 87.

⁹⁾ Complures circa Lemnum adhuc superstites insulas, plura etiam deperditarum vestigia exhibet Choiseulii tabula geographica.

Atque iisdem fere temporibus (ut e Pausaniae verbis colligere licet) quibus Chryse demersa est, in alia maris Aegei parte insula Hiera inter Theram et Therasiam cum magnis terrae motibus enata est ¹⁾. Quod Justinus inter bellum quod Romani cum Philippo III. Macedoniae rege gerebant, accidisse perhibet ²⁾; initio igitur saeculi ante Christum secundi (c. 197) Chrysen demersam esse patet. De Lemno autem ejusque vicinia quum nihil amplius nobis compertum sit, quum Galenus (sec. p. Chr. altero) crateris exusti vestigia se reperisse diserte affirmet, vel eodem, quo Chryse demersa est, vel paulo superiore tempore focum illum subterraneum extinctum statuemus, a *Buttmanno* dissentientes, qui Alexandri jam temporibus montem ignivomum deletum fuisse putat ³⁾.

Suspicio igitur, ex illis insulis Lemno adjacentibus, ignibus haud dubie subterraneis e mari elatis jam Onomacriti aetate vel concussas esse vel in profundum depressas nonnullas minores, quas longo temporis intervallo maxima earum Chryse cum montis ignivomi extinctione secuta est, atque hanc datam esse ansam Onomacrito, ut Musaeo vaticinium de insularum illarum interitu subjiceret. Nempe sola regionis natura, montisque eruptiones certe non satis erant, ut casum illum praevidere posset Onomacritus. Est quidem ea *Heinrichii* sententia in dissertatione supra laudata, qui physicis rationibus adductum Onomacritum insularum illarum interitum praedixisse, et quum Lemni naturam cognitam haberet, insularumque Novarum originem nosset, ut ortae essent, ita in tanta montis ignivomi vicinitate aliquando interituras conclusisse eum putat. At unde tanta physicarum rerum scientia Onomacrito, etiamsi Novarum originem compertam habuerit?

Tales autem locorum terraeque mutationes divinitus immissas oraculis praedictas putare antiquis imprimis fuit proprium; scilicet, quia ejusmodi casibus deorum in terram et homines potentia maxime eluceret, hos quoque prae aliis divino consilio ante decretos putabant. Plutarchus quidem (de sera numinis vindicta c. 22; de Pyth. orac. c. 9.) Dicaearchiae et Cumae interitum Sibyllinis oraculis praemonitum commemorat. Atque ipsius insulae Hierae supra memoratae ante Theram et Therasiam emersurae praedictionem continet oraculum ibidem allatum ⁴⁾. Augendae igitur Musaei vaticiniorumque ejus auctoritatis causa illud de insulis Lemnicis oraculum inseruisse Onomacritum vix est quod dubitemus. Quo plura enim recte praedicta videbantur, eo plus etiam ponderis reliqua monita eorumque interpretes erant habitura ⁵⁾. Minus igitur probatur mihi *Fr. Schlegelii* opinio, quae *Passovio* quoque placuit ⁶⁾, vano quodam sui ipsius fetibus diuturnam auctoritatem conciliandi studio id ab Onomacrito factum. Namque

¹⁾ Verbis enim supra allatis continuo subjungit: *νήσον δὲ ἄλλην ἀνέδωκεν ἢ τόνδε οὐκ ἦν χρόνον*. Plinii aevo altera Thia juxta eandem nata (H. N. IV, 12. Dio Cass. 60, 29); tertia saec. p. Chr. VIII (707), Cf. *Arago*, Unterhaltungen aus dem Gebiet der Naturkunde, II, p. 233. *Mannert.*, Geogr. der Griechen und Römer, VIII, p. 732.

²⁾ Justin. XXX, 4. Cf. de tota hac re *von Hoff*, Geschichte der durch Ueberlieferung nachgewiesenen Veränderungen der Erdoberfläche, t. II, p. 153, sqq.

³⁾ l. l. p. 306, cf. *Rhode*, Res Lemn. p. 8, qui recte contendit, ex Apollonii silentio nullo modo colligi debere, illius jam aetate Mosychlum collapsum fuisse. Confirmat sententiam nostram *von Hoff*, lib. supra laud. t. I, p. 33: „Pausanias gedenkt der nahe bei Lemnos gelegenen Insel Chryse und sagt, sie sei vom Meere vertilgt worden. Einen Theil der Ostküste von Lemnos selbst nebst dem darauf gelegenen Vulkan Mosychlos soll zugleich dasselbe Schicksal betroffen haben. Die Zeit dieser Begebenheit setzen einige kurz nach Alexander d. Grossen; andre in die Regierung der Antonine. Die erstere Meinung hat mehr Wahrscheinlichkeit.“ *Heinrichius* una cum Chryse eum concidisse putat l. l. p. 4.

⁴⁾ Ἄλλ' ὅποταν Τρώων γενεὰ καθύπερθε γένηται
Φοινίκων ἐν ἄγωνι, τότ' ἔσσειται ἔργα ἄπιστά·
Πόντιος μὲν λάμπει πῦρ ἄσπετον· ἐκ δὲ κεραιῶν
Πρηστῆρες μὲν ἄνω διὰ κύματος αἴξουσιν
Ἄμιγα σὺν πέτρᾳ, ἣ δὲ στηρίζεται αὐτοῦ
Οὐ φατὸς ἀνθρώποις νῆσος, καὶ χεῖρονες ἄνδρες
Χερσὶ βησιόμενοι τὸν κρείσσονα νικήσουσι.

⁵⁾ Cf. Herod. 8, 77. Ἐς τοιαῦτα μὲν οὕτω ἐναργείως λέγοντι Βάκιδι ἀντιλογίης χρησμῶν περὶ οὔτε αὐτὸς λέγειν τολμέω οὔτ' παρ' ἄλλων ἐνδέχομαι.

⁶⁾ *Schlegel*, Geschichte der Griechischen Poesie, p. 16. *Passow*, Einl. z. Musaeos, p. 36.

eadem ratione inter Ebraeos Jesaiae auctoritatem crevisse ostendit *Gesenius* ¹⁾. Sed quum reliqua oracula ad Atheniensium potissimum fata respexisse supra probaverimus, videndum erit, num hoc quoque oraculum ad Athenienses aliqua ratione pertinuerit, numquae Athenis cum Lemno tum temporis fuerit conjunctio. Statim, opinor, in mentem veniet cuique Lemnus a Miltiade expugnata atque occupata; sed quamquam de expugnationis tempore non diserte traditur, post Pisistratidas expulsos eam factam esse cum ex Herodoti verbis intelligitur (VI, 140), tum eo, quod cleruchiae libero demum reipublicae statu institutae sunt ²⁾. Quare aliunde ista ratio repetenda erit. Lemnus secundum Herodotum a Pelasgis erat occupata, qui propter injurias in Atheniensium mulieres commissas expulsi eo se contulisse incolasque ejus Minyas ejecisse dicuntur ³⁾. Post autem incursione in Atticam facta multas mulieres Atticas Dianae Brauroniae festum agitantes Lemnum secum abduxerunt, et quum deorum ira calamitates iis gravissimas inflixisset, Pythiae jussu legatos Athenas miserunt poenas daturi injuriarum, sed poscentibus illis Lemnum ipsam, callide eos eluserunt. Quum igitur Pelasgi illi non solum Lemnum ipsam sed etiam vicinas insulas occupassent ⁴⁾, harum insularum interitus et divinitus et propter Athenienses immissa poena poterat haberi; quam Musaei oraculis praedictam esse, sane erat, quod illius auctoritatem quam maxime posset augere.

Haec igitur fraus in augustis illis oraculis commissa, non oraculi sententia ⁵⁾, quae — etiamsi ad Strymonem Pisistratidarum agri fuerint — quomodo iis displicere potuerit, non intelligo, Pisistratidarum et praesertim Hipparchi animum ita exasperavit, ut in exilium mitteretur Onomacritus. Exul in Asiam minorem, fortasse Sigeum se contulisse videtur. Id enim promontorium cum urbe cognomine a Pisistrato Mitylenaeis ereptum filioque Hegesistrato traditum erat, ac bello contra eos diurno defensum postea et ipsis Pisistratidis perfugium praebuit ⁶⁾. Cum illis quidem exulibus, qui Hipparcho mortuo vi reditum sibi parare tentabant ⁷⁾, Onomacritus fuisse non videtur, quia Herodotus ejus mentionem facere non neglexisset; neque in Graecia restitisse, quod Alcmaeonidae tantum virum sibi comitem adjungere haud omisissent. Sed quod rem conficit, Pisistratidae ipsi, quum Athenis ejecti Sigeum se contulissent, Onomacritum ibi convenerunt et deposita inimicitia comitem sibi adjunxerunt itineris ad regem Persarum faciendi, quem ad expeditionem contra Graeciam suscipiendam erant exhortaturi. Qua in re magno iis usui fuit Onomacritus, aut patriae oblitus suoque tantum commodo intentus, aut quod irritam fore Xerxis irruptionem confidebat, sibi vero ex ea reditum qualemcumque sperabat. Honorifice enim de eo loquentibus Pisistratidis, quoties in regis conspectum veniret, ex oraculis quaedam recitabat; eorum quidem, quae cladem aliquam regi imminentem nunciarent, nullum referens, sed faustissima quaeque excerpens in fatis esse dicebat, ut Hellespontus a viro Persa jungeretur, expeditionemque ipsam exsequeretur ⁸⁾. Nec fortasse tum aequae acriter atque antea Pisistratidae, ut nihil nisi genuina oracula proferrentur exigebant; sed in opportuna interpolatione connivebant. Magno natu autem Onomacritum Susa profectum esse e scholio illo Plautino apparet, de quo infra (p. 13) plura dicturi sumus.

¹⁾ Introd. in Jesaiam §. 7, p. 37. „Von der Zeit an, wo das ihm zugeschriebene Buch die gegenwärtige Gestalt erhalten hatte, verdankt es aber unstreitig einen grossen Theil seines immer steigenden Ansehens eben den der alten echten Sammlung beigegebenen späteren Stücken, die, sobald man sie von Jesaia herrühren liess (woran bald Niemand mehr zweifelte), allerdings zum Theil als beispiellos und überraschend genaue Praedictionen erscheinen mussten.“

²⁾ *Wachsmuth*, Hellen. Alterthumskunde, I, 2, p. 37, qui Lemnum a Miltiade inter Joniae rebellionem occupatam putat; *Rhode*, I, 1, p. 46, qui temere annum 510 posuit.

³⁾ Herod. VI, 137 sqq.

⁴⁾ Id quod e *Strabone* colligo, p. 334, 549 ed. *Cas.*, qui Lemnum atque adjacentes insulas a Sintiis habitatas esse dicit, peculiari puto illos Pelasgos nomine appellans, quod a vitae genere piratico acceperant. Confirmat hanc sententiam *Philochorus*, (Schol. ad II, I, 594).

⁵⁾ Est haec opinio *Kreuseri* „Vorfragen über Homer“ p. 165, et Schol. ad Apoll. 1, 608; assentiturque *Müllerus* Orchomen. p. 300; qua sententia post rejecta (*Prolegg. zur wissenschaftlichen Mythol.* p. 154) Thracica eos stirpe et Pelasgis antiquiores Lemni incolas statuit.

⁶⁾ Herod. V, 94. *Strab.* XIII, 1. Cf. *Gottfr. Müller* ad Aesch. Eumen., p. 125.

⁷⁾ Herod. V, 62.

⁸⁾ Herod. VII, 6.

Jam ex hac Herodoti narratione satis perspicitur, eum cetera Musaei oracula genuina putasse neque ullum praeter memoratum illud suppositum. Quare temere nobis scripsisse videtur Clemens Alexandrinus, Strom. I, p. 332, ed. Pott.: *Τοὺς μὲν ἀναφερομένους εἰς Μουσαῖον χρησμούς Ὀνομακρίτου εἶναι λέγουσι*. Quae nisi vana est famae amplificatio, ex Herodoti narratione profecta, Pausaniae auctoritate niti videtur (I, 22, 7), ubi de carminibus Musaei agens ullum eorum genuinum esse negat praeter hymnum in Cererem, quem Lycomidis fecerit. Ac de hoc quidem loco jam deinceps agamus.

Loquitur enim ibi Pausanias de picturis, quibus paries aedis cujusdam ad laevam Propylaeorum sitae exornata erat. *Ἐπὶ δὲ τῶν γραφῶν*, inquit, *παρέντι τὸν παῖδα, τὸν τὰς ὑδρίας φέροντα καὶ τὸν παλαιστήν, ὃν Τιμαίνετος ἔγραψεν ἐστὶ Μουσαῖος. Ἐγὼ δὲ ἔπη μὲν ἐπελεξάμην, ἐν οἷς ἐστὶ πτεῖσθαι Μουσαῖον ὑπὸ Βορέου δῶρον, δοκεῖν δὲ μοι πεποιήκεν αὐτὰ Ὀνομάκριτος, καὶ ἔστιν οὐδὲν Μουσαῖον βεβαίως, εἰ μὴ εἰς Δημήτερα ἕννος Ἀνχομίδαις*. Laudat autem haud dubie Pausanias carminis cujusdam exordium ad illustrandam Musaei effigiem, quae alis ornatum eum exhibebat. Quod ornamentum elationis poëticae symbolum nobis habendum erit¹⁾; idque cur a Borea potissimum Musaeo muneri tributum faciat auctor, e propinqua Musaei cum Borea cognatione recte repetere videtur *Lobeckius*, *Aglaoph.* I, p. 311. Musaeus enim Eumolpi filius, Eumolpus Boreae ex Chione nepos a plurimis perhibetur. Ac primam hanc esse volaticorum hominum memoriam, ab Onomacrito repetendam *Lobeckius* ex hoc Pausaniae loco suspicatur²⁾. Nam quum Onomacritus, id quod ex aliis Pausaniae locis apparet, Bacchicorum Orphicorumque mysteriorum esset peritissimus, ex illorum scientia cultuque per symbola significandi ratio ei haud dubie nota erat et consueta; quare mirum esse non potest eum, siquidem hujus carminis auctor fuit, ad Musaei afflatum poëticum depingendum tale symbolum adhibuisse. Igitur ne opus quidem videtur illustrandi hujus symboli causa deorum et daemonum volaticorum admonere, in mysteriis praesertim frequentium, quos enumeravit *Zoëga* (*Rhein. Museum für Philologie*, t. VI, fasc. 1. p. 581 sqq.), quum alarum imago etiam alias ad animi commotiones significandas adhibita sit, ut in Bacchi aequam Amyclaeos cognomine *Ψιλαξ*³⁾, vel in fragmento illo Euripidis ap. Clem. Alex. Strom. IV, fin.:

Χρύσει δὴ μοι πτέρυγες περὶ νῶτω

Καὶ τὰ Σειρήνων ἐρόεντα πέλιδα

Ἀρμόζεται e. q. s.

Nec vero satis firma mihi videtur ratio, cur ab Onomacrito illam imaginem in poësin introductam putemus. Ut enim concedamus, certa ejus ante Onomacritum vestigia non inveniri, atque aëria illa Triptolemi et Abaridis itinera posterioris esse originis, tamen ita simplex est et in rerum natura posita haec imago, ut ad eam usurpandam non potuerit non mature adduci Graecorum ingenium.

Illud igitur carmen Musaei nomine inscriptum ab Onomacrito suppositum esse arbitratur Pausanias, nec sane est, quod ei fidem non habeamus⁴⁾. Addit autem nullum e Musaei carminibus sibi genuinum videri praeter hymnum in Cererem; non ab Onomacrito supposita omnia sibi videri affirmat, sed genuina esse negat. Qui igitur, quaeso, fieri potuit, ut quae Musaei ferebantur et feruntur omnia, Onomacrito auctori tribuerentur? At vero in hanc sententiam accepta videmus Pausaniae verba a *Passovio* (*Introd. ad Mus.* p. 34): „Pausanias sagt ausdrücklich, unter allen für Musaeisch ausgegebenen Versen dünke ihm der einzige Hymnos auf Demeter ächt, alles Uebrige halte er für Onomakritos Werk, worin Clemens Alex. mit ihm einstimmig ist.“ Atque hanc temerariam Pausaniae interpretationem plures secuti sunt, e. g. *Schöllius*, *Hist. Litter. Graec.* I, p. 31. Multo quidem cautius

¹⁾ Cf. *Passovii Musaeum. Introd.* p. 15: „Ja schon bei seinem Leben sehen wir ihn losgekettet von der Erdscholle, sehn wir ihm den Weg in leichtere Bezirke aufgethan; denn Boreas hatte ihm, ein Symbol seines geflügelten Geistes, der ihn hinweghob über das enge Loos der Erdbewohner, Fittige verliehen, die ihn in schnellem Fluge durch die Lüfte trugen.“ Nec discrepat *Vossii* sententia, *Epist. Mythol.* 44, p. 64 ed. II.

²⁾ *Ib.* p. 314. ann.

³⁾ *Pausan.* III, 19, 6. *Voss, myth. Briefe*, 44, p. 62, ed. II.

⁴⁾ *Nitzschio* enim assentiri nequeo qui „Pausaniam dicit iudicio usum parum libero multoque minus ad discernendas rerum aetates subacto“ de *hist. Hom.* I, p. 22, ejusque causam altera disputatione agere constitui.

Ritschlius (in Allg. Encycl. der Künste und Wissenschaften s. v. Onomakritos) hoc loco significari statuit id quod carminibus Onomacriti nomine laudandis aliis locis aperte a Pausania sit expromptum. In eadem fere sententia est *Ulrici*, qui Onomacritum quasi principem exhibet eorum, qui religionum reconditarum studiosi vetustis nominibus suos fetus ornarint ¹⁾. Sed probabile non est, Pausaniam, quod h. l. dubitanter tanquam conjecturam de uno carmine profert, aliis locis de omnibus Musaei carminibus pro certo atque explorato tacite sumpsisse.

At enim de oraculis certe idem judicat Clemens Alexandrinus. Videamus, quid dicat. L. I, c. 21, §. 131, ubi multo antiquiorem esse Hebraeorum sapientiam quam Graecorum probare studet, de Onomacrito haec ille: *Ναὶ μὴν Ὀνομάκριτος ὁ Ἀθηναῖος, οὗ τὰ εἰς Ὀρφεία φερόμενα λέγεται εἶναι κατὰ τὴν τῶν Πεισιστρατιδῶν ἀρχὴν περὶ τὴν πεντηχοστὴν ὀλυμπιάδα εὐρίσκεται* v. q. s.; ac paullo post: *καὶ τοὺς μὲν ἀναφερομένους εἰς Μουσαῖον χορημοὺς Ὀνομακρίτου εἶναι λέγουσιν, τὸν Κράτητα δὲ τὸν Ὀρφεὺς Ζωπύρου τοῦ Ἡρακλεώτου, τὴν τε εἰς Ἄιδου κατὰ βασιὺς Προδίκου τοῦ Σαμίου*. Jam vide, quid huic testimonio tribuendum sit. Ut de eo taceam, quod Onomacritum, quem alio loco, supra p. 5. allato, cum heroicis vatibus confundit, hoc loco circa olymp. L, eundem tamen Pisistratidis regnantibus vixisse ait, — primum et Orphica et Musaei oracula omnia ad Onomacritum auctorem referri perhibet. Non enim negligendum est utroque loco illud λέγεται, λέγουσι, quibus verbis, sicut vocabulo φασίν, Graece loquentium more neque dubitationem neque fidem addi, si alterutrum, dubitationem potius, interdum omnino nihil amplius inesse, quam „non prorsus deesse qui dicant“ bene observavit *Nitzschius* (de Hist. Hom. I, p. 25 sq.) Atque idem, quam parum haec fama sibi constet, continuo arguit eo, quod singula carmina Orphica alia aliis auctoribus tribui subjungit, Zopyro scilicet et Prodicō. Ac sane ipsi credibile esse non poterat, nisi forte omnis iudicii expertem eum statuimus, omnia quae ferebantur Orphica, quorum reliquiae hodieque diversorum auctorum ac temporum vestigia manifesto prae se ferunt, uni Onomacrito esse vindicanda. Orphica quidem s. carmina Orphei nomine inscripta, quae ad Bacchi Cererisque sacra recondita pertinerent, ab Onomacrito composita esse negari nequit. Id enim confirmant Sextus Empiricus Hypotyp. III, 4 et adv. Mathem. IX, quo utroque loco simpliciter Onomacritum laudat ἐν τοῖς Ὀρφικοῖς; et Tatianus vulgarem famam secutus Orat. adv. Graecos p. 293, ed. Venet., quem locum exscripsit Eusebius Praep. Evang. X, 11, p. 495 ²⁾; qua de re alio loco uberius erit disserendum ³⁾. Sed hic quoque accidit, quod in literarum historia saepissime factum videmus, ut in unum illustrem auctorem conferrentur multorum minus clarorum hominum facta fetusque; ita ut, quae Musaei vel Orphei nomine circumferebantur, quum spuria esse constaret, non jam illorum sed Onomacriti nomine consignarentur ⁴⁾, temereque etiam omnia Musaei oracula ab Onomacrito subjecta dicerentur, quum unum tantum alterumve iis suum inseruisset. Atque hanc famam Clemens, alioqui quoque minime cautus et consideratus auctor secutus est ⁵⁾. Pausanias certe, qui in epicis carminibus Musaei nomine inscriptis Onomacritum personatum auctorem odoratus esset, idemque Musaei oracula legisset eaque ab Onomacrito interpolata esse ex Herodoto nosset, si ulla certa fuisset ratio, qua haec omnia ad Onomacritum auctorem referrentur, haud

¹⁾ Geschichte der Hell., Poesie, II, p. 244. Unter seinem eignen Namen scheint er ausser einigen Sehersprüchen wenig oder gar Nichts von seinen Dichtungen herausgegeben zu haben, und es tritt also in ihm zuerst die merkwürdige Erscheinung hervor, dass ein nicht unbedeutender Dichtergeist, ganz verloren in dem Streben aller religiösen Mystiker und Sektirer, die Stiftung ihrer Sekte, wie ihre mystischen Träume und Geheimlehren in den Nebel eines grauen Alterthums zu hüllen, aller eignen freien Kunstschöpfung entsagte und sich bemühte, in dem Sinne und Geiste älterer Vorbilder zu dichten und in diese die eignen Ideen und Anschauungen zu versetzen.

²⁾ Cf. Suidas s. v. Ὀρφεὺς, qui tamen ex 21 libris Orphicis χορημοὺς tantum et τελετὰς Onomacrito tribuit.

³⁾ Interim adiiisse juvabit librum modo laudatum (*Ulrici*, Geschichte der Hellen., Poesie) t. I, p. 482 sqq., qui tanto acumine, tanta doctrina hoc argumentum persecutus est, ut successori tenuem tantum messem reliquerit.

⁴⁾ Ut Orphei Physica Onomacrito tribuuntur a Philopono Schol. ad Aristot. de anima 1, 5, 15; Lithica, s. de lapidum sculptura, a Suida, Lob. Aglaoph. I, p. 377; ejusque omnino omnia placita versibus illigasse perhibetur Onomacritus a scholiasta Aristidis, p. 206, v. Lob. Aglaoph. I, p. 351. 757. „Ad haec meminisse oportet, veteres Criticos, quum carminum Orphicorum auctores indagare conarentur, non certis indicis sed odore quodam suspitionis ductos esse circa alium atque alium vagantis.“

⁵⁾ Cf. de ejus auctoritate *Nitzsch*. Melet. de H. Hom. I, p. 39.

dubie neque ignorasset neque dicere praetermisisset. Et quum unum oraculum insertum exilio luendum esset Onomacrito, tanta fraus, quomodo committi aut commissa Pisistratidas latere poterat?

Ergo nihil amplius affirmari poterit, quam Musaei quae ferebantur oracula aliaque carmina sub Pisistratidis ab Onomacrito collecta, digesta, hic illic interpolata, fortasse etiam suis ipsius carminibus esse aucta. Quae sententia Herodoti et Pausaniae auctoritate fulta bene convenit cum iis, quae de studiis Onomacriti Pisistrato auctore in Homerum impensis e scholio Plautino per *Ritschlum* nuper detecto atque explicato ¹⁾ accepimus. Depromptum est hoc scholium e Caecii cujusdam commentario in Aristophanis Plutum. Quem Caecium eundem esse ac *Tzetzen* grammaticum felicissima est *G. Dindorfi* conjectura. Hujus scholii eam partem, quae Onomacritum spectat, integram h. l. proponam: „Ceterum Pisistratus sparsam prius Homeri poësim ante Ptolemaeum Philadelphum annis ducentis et eo amplius sollerti cura in ea, quae nunc extant, redegit volumina, usus ad hoc opus divinum industria quatuor celeberrimorum et eruditissimorum hominum, videlicet Concyli, Onomacriti Atheniensis, Zopyri Heracleotae et Orphei Crotoniatae. Nam carptim prius et nonnisi difficillime legebatur.“

Quod scholium quominus e bono et antiquo fonte ductum putemus nihil impedit. Neque enim quidquam ab antiquioribus traditum est, quod ei repugnet, neque Herodoti de hac Onomacriti opera silentium fidem ejus potest imminuere. Is enim omnino de Homericorum carminum collectione Pisistratea tacet, quae tamen plurimis veterum testimoniis, iisque gravissimis nititur ²⁾. Ne temporis quidem rationem obstare *Ritschlus* jure contendit. Nam si septuaginta annorum aetatem attigisse vel superasse statuimus Onomacritum, id quod nemo negat, eum, qui juvenis c. Ol. LX, Pisistratum in colligendis Homeri carminibus adjuverit, senem c. Ol. LXXIII, 4. cum Pisistratidis ad regem Persarum profectum esse a vero non abhorret. Probabiliter enim illa colligendorum carminum cura ad tyrannidis tertium recuperatae tempora rejicitur. Adjuutoribus autem in illo negotio pluribus usum esse Pisistratum cum per se consentaneum est, tum e Pausaniae verbis ³⁾ „ἡ τῶν τρια ἐταίρων“ apparet. Egregie igitur hoc scholio confirmatur, quod jam *Wolfius* conjecerat ⁴⁾, Onomacritum inter eos fuisse, qui Pisistrato ad ordinanda carmina Homericam operam praebuerint. Quamquam in scholio nostro inter socios illos Pisistrati pro Simonide Ceo et Anacreonte Teio, quos *Wolfius* Pseudoplatonem illum secutus exhibuit, duo alii comparent, Conchylus s. potius Conchylus et Zopyrus Heracleota, quem Clemens loco supra allato cum Onomacrito Orphicorum carminum auctorem prodidit. Sub Conchylis nomine Simonidem Ceum delitescere suspicati sunt *Lerschius* et *Düntzerus* ⁵⁾; Euclum vatem *Bernhardy* ⁶⁾, non satis, ut mihi quidem videtur, idonea ratione permoti. Quidni enim obscurior quoque aliquis illustribus illis viris adjunctus fuerit ⁷⁾? Orpheus autem Crotoniates ab aliis quoque inter Pisistrati sodales refertur, ut ab Asclepiade grammatico ⁸⁾, idemque carminum epicorum auctor perhibetur. Horum igitur virorum atque Onomacriti auxilio usus Pisistratus, sicut aequalis ejus Polycrates Samius, antiquorum vatum carmina colligenda, transscribenda, ordinanda curavit, atque hac ratione bibliothecae specimen primus Athenis instituit, filiisque ejusdem studii auctor extitit ⁹⁾. Praecipuam autem curam in Homeri carmina collatam, ejusque sparsam prius poësin in ea, quae nunc extant, volumina a Pisistrato ejusque sociis redactam scholium illud affirmat consentiente prope totius antiquitatis testimonio. Nec secundum verba

¹⁾ Die Alexandrinischen Bibliotheken unter den ersten Ptolemaern und die Sammlung der Hom. Gedichte durch Pisistratus. Bresl. 1838.

²⁾ Enumeravit atque explicuit testimonia illa *Düntzerus* in libro incripto: „Homer und der epische Cyclus“, inde a p. 17. Cf. etiam *Utrici*, Gesch. d. Hell., Poesie, I, p. 252 sqq.

³⁾ VII, 26, 6.

⁴⁾ Prolegg. p. CLV.

⁵⁾ De Cyclo Homeric, p. 23.

⁶⁾ Jahrb. für wissensch. Kritik, 1838, Nro. 104 sq.

⁷⁾ Quae est *Ritschlii* sententia libro laud., p. 43.

⁸⁾ V. Suid. s. v. Ὀρφεύς. cf. *Lob. Aglaoph.* I, p. 356.

⁹⁾ Athen. I, p. 3, a. *Gell.* VI, 7. cf. *Welcker*, der epische Cyclus oder die Homerischen Dichter, p. 380. *Nitsch.*, de Hist. hom. p. 101 sqq., p. 157. *Ritschl.* I. l. p. 53. *Becker*, Charikles, I, p. 213.

continuo subjuncta: „nam carptim prius et nonnisi difficillime legebatur“, quibus *Welcheri* et *Nitzschii* argumentationes confirmantur, id amplius ita poterit accipi, quasi ex rhapsodorum ore ac memoria collectum composuerit Homerum Pisistratus; dubium jam non est, quin perscripta ¹⁾ jam tum extiterint Homeri carmina singula, a Pisistrato autem universae poësis Homericæ corpus sit restitutum et Panathenaicæ rhapsodorum recitationi normæ regulæque instar subjectum. Atque hoc Pisistrati exemplum vulgarem textum, qui dicitur, crisisque Alexandrinæ fundamentum factum esse *Düntzeri* et *Ritschlii* est sententia; *Xerxis* temporibus interiisse videtur *Welchero*. ²⁾ In hoc igitur studio præter filium Hipparchum, cui præcipuæ hic quoque partes tribuuntur ³⁾, et viros supra laudatos adiutorem adhibuit Pisistratus etiam Onomacritum, tum temporis juvenem et ipsum poëtica facultate instructum. Primum autem eum inter illos locum obtinuisse inde colligas, quod quaecunque ab hac Homericorum carminum collectione ducuntur interpolationes, aut Pisistrato ipsi tribuuntur aut Onomacrito. A Pisistrato quæ profectæ dicantur vel correctiones vel interpolationes, exposuit *Düntzerus* l. l. p. 25. Ad Onomacritum auctorem disertè unus in *Odyssea* versus refertur. Extat enim scholium Harlejanum ad Od. λ', 604 ⁴⁾, ubi Heben nuncupat Homerus personatus:

Παῖδα Διὸς μεγάλοιο καὶ Ἥρης χρυσοπεδίλου.

τοῦτον, inquit schol. illud, ὑπὸ Ὀνομακρίτου πεποιῆσθαι φασιν. Ac sane spurium esse versus illum Pausanias quoque confirmare videtur. Is enim II, 13, 3, ubi de Ganymeda sive Hebe loquitur, ejus cum Hercule matrimonii auctorem citat Homerum, loco *Odysseæ* laudato, sicut muneris, quo inter deos fungebatur eundem II. δ', 3; originis autem ejus ex Jove et Junone non eundem Homerum, sed Olenis in Junonem hymnum. At vero idem versus legitur in Hesiodi *Theogonia* v. 952, ubi scholia quidem nihil movent suspicionis. Neque tamen locum illum Hesiodi accuratius consideranti abest suspicio, quin et ipsi Hesiodo versus iste sit obtrusus. Parum enim apte generis illa descriptio inserta est:

Ἥβην δ' Ἀλκμήνης καλλισφύρου ἄλκιμος υἱὸς

Ἴσ' Ἡρακλῆος, τελέσας στονοέντας ἀέθλους,

Παῖδα Διὸς μεγάλοιο καὶ Ἥρης χρυσοπεδίλου,

Αἰδοίην θεί' ἄκοιτιν ἐν Οἰλύμπῳ νεφεόντι.

Nihil igitur obstare videtur, quominus id quod scholio illo traditur, verum putemus; imo Hesiodum quoque una interpolatum esse conjicias ⁵⁾. Quod utique fieri potuit. Hesiodi enim carmina aequè atque Homericæ Pisistrati cura collecta, perscripta uno alterove loco etiam correctæ esse, si non per se ipsum esset probabile, vel e Plutarchi *Theseo* perspiceretur ⁶⁾, ubi Pisistratus unum ex Hesiodi carminibus versus sustulisse perhibetur. Nec non ratio quaedam reperiri potest, qua adductum esse Onomacritum arbitremur, ut eundem illum versus et Homero et Hesiodo subjiceret. Studebant enim hujus ætatis theologî, Orphici præsertim, concentum quendam consensumque fabularum deorumque genealogiæ efficere. Inde etiam *θεομιξία* illa fluxit, sive numinum diversorum quidem sed similitum conciliandorum studium, cujus exemplum ipse Onomacritus nobis præbet, cum Herculem Cereris comitem *Idæis Dactylis* annumerat ⁷⁾, qui omnium consensu primi ferrum tractasse et ab antiquioribus scriptoribus cum *Cybele* conjuncti *Idæ Phrygii* montis accolæ dicuntur, post etiam ad cognominem *Cretæ* montem ac *Rheæ* religiones

¹⁾ Quod munus ipsis rhapsodis tribuitur a *Welchero* l. l. p. 370.

²⁾ *Düntzer*, l. l. p. 31. *Ritschl*, l. l. p. 59. *Welcher*, der epische Cyclus, p. 387.

³⁾ Vid. supra, p. 7 sq.

⁴⁾ Porsonus ad Euripid. *Orest.* v. 5 versus 602 scripsit, haud dubio errore.

⁵⁾ Quæ est sententia per literas mecum communicata *C. F. Hermanni*, viri doctissimi, de studiis nostris egregie meriti mihiq; amicissimi.

⁶⁾ C. 20. Cf. *Nitzsch*, l. l. p. 168. *Ritschl*, l. l. p. 54. Cercopi Milesio Hesiodæorum carminum curam potissimum mandatam fuisse non sine causa suspicatur *Müllerus* (*Prolegg.* zu einer wissensch. Mythologie, p. 399) assentiente *Ritschlio* l. l.

⁷⁾ Hanc esse veram Pausaniæ interpretationem VIII, 31, 1, jure contra *Höckium* contendit *Lobeck*, *Aglaoph.* II; p. 1169.

transferuntur ¹⁾. Haud obscure igitur Onomacritus, cum Herculem Idaeum Cereris facit assessorem, idem esse Magnae Matris, fortasse Rheae quoque ²⁾, ac Cereris numen indicavit, atque hanc opinionem reconditorum saltem sacrorum peritos secutos esse ex Euripide perspicitur, Hel. 1304, ubi Cereri non solum nomen μήτηρ ὀρέϊα, quod Cybelae proprium est, sed etiam crepitacula Bacchica tribuit. Recentioribus quidem Orphicis eandem fuisse Rheam ac Cybelen abunde apparet ex hymn. Orph. 14 (18). Tellus enim, πολλῶν, ut ait Aeschylus, ὀνομάτων μορφῆ μία (Prom. 210), omnibus his dearum personis, etiam Latonae in mysteriis subiciebatur ³⁾. Hujus igitur studii in mysteriis culti apertum vestigium in Onomacriti carmine illo deprehendimus, eique conjunctum esse alterum illud, ut fabularum auctores ad consensum quendam de deorum generatione redigerentur, facile intelligitur. Quum igitur Olen Heben, quae apud Homerum, sicut alia ejus generis numina allegorica, parentum esset expers, Jovis Junonisque filiam fecisset, in Homerum quoque atque Hesiodum id intulisse videatur Onomacritus. Neque enim desunt vestigia aliam quoque fuisse hujus deae genealogiam ⁴⁾.

Una tamen gravissima ratio prohibet, ne sententiam hanc quamvis verisimilem pro vera ac certa amplectamur. Quaeritur enim, quomodo factum sit, ut Pausanias illius versus, quum in eo ipso argumento versaretur, nullam prorsus mentionem fecerit. E duobus unum statui necesse erit. Aut enim spurium esse eum ita jam constabat, ut tacite eum negligeret, aut in suis exemplaribus omnino non legebat illum versum Pausanias. Homeri certe ipsius auctoritatem, quum de Hebes matrimonio et ministerio allegasset, in generis origine non omisisset. At ne Onomacritum quidem, si ulla ratione constaret, eum versus illius auctorem fuisse, praetermisisset. Quanti enim hunc virum fecerit, quantumque ejus carminibus pretii et auctoritatis tribuerit, alii loci docent, de quibus altera disputatione, quae de scriptis erit Onomacriti, mihi agendum esse indicavi ⁵⁾. Cum Homero conjunctum eum laudat VIII, 37, ubi Titanes ab Homero in poësin introductos, deinde ab Onomacrito in orgiis Bacchicis Bacchi caedis auctores factos esse refert; cum Hesiodo eum consentire memorat in Gratiarum origine et nominibus (IX, 35); locoque supra laudato (VIII, 3) eum tanquam mythologiae auctorem gravissimum allegat ⁶⁾. Illumne igitur, si versum istum ab Onomacrito insertum novisset, tacitum id praetermisisset? quum praesertim id ageretur, ut qualis et a quibusnam auctoribus in poësin introducta esset Hebe, demonstraretur.

Quare necessario ad alteram compellimur, quae cogitari potest, neglecti hujus versus causam; quod in suis Odysseae exemplaribus non inveniebat eum Pausanias. Quaeres: Ne in Hesiodo quidem? Hoc nihil refert, et in medio potest relinqui. Olenem enim multo antiquiorem statuit Pausanias quam Hesiodum, quum eo posteriores fuisse contendat Pamphum et Orphea ⁷⁾. Jam ne genuinum quidem Hesiodi opus esse putat Theogoniam. Dicit enim IX, 35, 1: Ἡσίοδος δὲ ἐν Θεογονίᾳ (προσιέσθω δὲ ὅτι φῖλον τὴν Θεογονίαν) ἐν γοῦν τῇ ποιήσει ταύτην e. q. s. Quum igitur Olenem, vetustissimum ex ipsius sententia vatem, auctorem produxisset, Theogoniam illam spuriam in subsidium vocare omisit. Neque sententia illa, qua versus noster etiam in Theogoniam ab Onomacrito illatus judicatur, accuratius consideranti stare poterit. Quid enim caussae fuisse putemus Onomacrito, cur hoc loco parentum nomen insereret, quum jam antea v. 922, Heben Jovis et Junonis filiam dixisset poëta? Quod autem tam male collocatus dicitur versus iste, ut eo ipso interpolationis suspicionem moveat, habemus prorsus eandem structuram v. 927:

¹⁾ Cf. Paus. V, 7, 4. ib. 14, 5. VI, 23, 2. Cf. *Völckerum* in „Jahrb. für Philol. und Pädag. 1832, II, 2, 1, p. 56 sqq.

²⁾ Procl. in Crat. p. 96, τὴν Δήμητρα Ὀρφεὺς μὲν τὴν αὐτὴν λέγων τῇ Πέττ εἶναι e. q. s. v. *Lob. Agl.* I, p. 537.

³⁾ *Klausen*, Aeschyli theologumena, p. 95 sq. Cf. etiam de hac re *Utrici*, Geschichte der Hell. Poesie, I, p. 482. „Wollte nun Onomacritus dem Zeitgeiste gemäss Dionysische Orgien in fremder, in Phrygisch - orgiastischer Weise und Gestaltung stiften, so erscheint es natürlich, dass er dieselben auf alte Hellenische Mythologie zurückzuführen in alt Hellenischen Mythen und Religionslehren den Urgrund und gleichsam die Nothwendigkeit nachzuweisen suchte.“

⁴⁾ Scriptt. rerum mythicarum lat. ed. *Bode*, I, p. 56. „Hebe filia Minois filii Jovis.“

⁵⁾ V. supra, p. 12.

⁶⁾ Ac merito quidem hoc factum ostendunt ea quae disputavit *Utrici*, Geschichte der Hell. Poesie, I, p. 481 sqq. II, 243 sqq.

⁷⁾ IX, 27, 2. De Orphei aetate, cf. idem X, 7, 2, de Pamphi, IX, 35, 1. Non ignoro equidem hanc de Olenis aetate sententiam impugnata esse a *Vossio* annot. ad hymn. in Cererem, p. 6. Nunc vero, quid Pausanias senserit, quaerimus.

Ἥρη δ' Ἥφαιστον κλυτὸν οὐ φιλότῃ μιγείσα
Γείνατο καὶ ζαμένησε καὶ ἤρισεν ᾧ παραζοίτῃ,
Ἐκ πάντων τέχνησι κεκασμένον Οὐρανίωνων.

Quare sic denique statuimus, in Hesiodo quidem versum illum non senioris esse originis quam ceteros ejusdem loci, atque inde eum vel ab Onomacrito vel etiam ab alio quodam posteriore diasceuasta in Odysseam translatum. Quam enim facile fieri potuit, ut quum in illo scholio vel ejus fonte „ἐμπεποιῆσθαι“ esset scriptum: „ab Onomacrito insertum esse“, hoc in: πεποιῆσθαι mutaretur? Quanto facilius etiam, ut is qui interpolationis tantam nactus esset famam, quum Homero ordinando manus admovisse eum constaret, hujus quoque interpolationis a sciolo quodam insimularetur! Quantum enim apud Graecos voci illi: φασὶν tribuendum sit, supra p. 12 monuimus. Atque ita demum, si scholii istius auctoritate rejecta Onomacrito posteriorem aliquem versus illius insertorem statuemus, cur Pausanias ejus mentionem nullam fecerit, explicare valebimus. Si enim legebat illum versum in suo Odysseae exemplari, mentione tamen dignum non putabat, quod e Theogonia temere huc esset translatus, sive non legebat — quomodo ejus rationem habere potuit? Tum autem eum ab Onomacrito profectum esse prorsus est improbabile.

In majus vero scholii istius sententiam interpretatus est *Bernh. Thierschius* in libro, qui inscriptus est: „Urgestalt der Odyssee“ p. 69 sqq., quum totum illum locum inde a v. 568 usque ad 629 ab Onomacrito subjectum suspicaretur. Negari quidem nequit, id quod etiam Porsonus contendit ¹⁾, omnes illos versus, quamquam a Platone duo ex illis laudantur ²⁾ et Pausanias eos ut genuinos agnovit ³⁾ a recentiore manu profectos videri. Quod de parte saltem illorum versuum jam Aristarchus judicavit secundum scholium ad Pind. Olymp. I, 91, a Porsono l. l. allatum; multis autem argumentis de toto illo loco probare studet *Thierschius*, his ad extremum verbis usus: „Daher kann auch recht gut die ganze mythische Schilderung, die wir hier aus der Odyssee verwiesen haben, von seiner (Onomakritus) Hand gekommen sein“. Quamvis autem inferorum honorum poenarumque illa descriptio ab Orphicorum placitis non aliena videatur ⁴⁾, nulla tamen est firma ratio, qua Onomacritum tantae fraudis auctorem faciamus, non magis quam *Göttingio* fuit, quum Theogoniae Hesiodae versus 411 — 452 (in annotatione) ab Onomacrito supposita suspicabatur, quam suspicionem ipse paullo post reprobavit (Praef. p. XXIX), Cercopem Milesium illum, cui Aegimius quoque a nonnullis tribuebatur ⁵⁾, ei substituens. His in rebus suspicari facile atque in promptu, probare vero difficile arduumque.

¹⁾ Ad Eurip. Orest. v. 5.

²⁾ Verss. 582, A. 601. Protag. p. 315, B. C.

³⁾ Paus. X, 31, 4.

⁴⁾ Diod. Sic. I, 96. Jul. Orat. VII, 216. cf. *Lob. Aglaoph.* II, p. 811.

⁵⁾ Athen. XI, p. 503, D. cf. *Götting*, Praef. ad Hesiod. p. XXVIII.